


# Narratio de Caniculo Catulaque

res domesticas curantibus  
et de multis variis rebus



Josephus Čapek

Scholares Instituti studiorum classicorum  
Universitatis Masarykianae Brunensis  
Latine vertendum curaverunt

## De Caniculo Catulaque diem mensis Octobris duodetricesimum celebrantibus

Catula et Caniculus in domucula sua sedentes colloquebantur. „Me ausculta,“ inquit Caniculus, „mox dies mensis Octobris duodetricesimus erit et nobis vexillum nullum est. Et hoc anno dicitur solemnior fore. Opprobrium erit, si in omnibus domibus vexilla erunt et tantum in nostra nihil.“ „Vero,“ inquit Catula, „vexilla, ea mihi placent.“ „Ita est,“ dixit Caniculus, „pulchra videntur vexilla in vento trepidantia; cum de inferiore conspiciuntur, iis caelum plenum esse videtur.“ „Immo si desuper ea videres, ‚mehercle, mirabile visu,‘ certe diceres,“ inquit Catula; „nihil est melius quam vexillis pendentibus in tecto ambulare. Talis ambulatio sana iucundaque est. Tota terra plena vexillis esse ex tecto videtur.“ „Pauci in tecto ut tu ambulare possunt,“ Caniculus Catulae respondit; „egomet, exempli gratia, in tectum inire metuam, ne cadam, quo modo mori possim. – Sed aliquod vexillum nobis habendum est, quid faciamus, cum dies ille clarus erit.“



„Sed audi, Canicule,“ inquit Catula, „quare vero dies ille Octobris duodetricesimus tam clarus est?“

„Ha ha hae,“ Caniculus Catulam irridet, „num, quam clarus dies ille sit, ignoras? Nihil quidem scis, nihil sicut liberi parvi invenisti! Hi quoque vexilla conspicati clarasque omnes res, quare fiant, quaerent.“

„Ita est,“ Catula admittit, „sed his pater vel mater quaerentibus dicent. At quis mihi dicat?“

„Revera,“ Caniculus dixit, „neque ego satis bene scio.“ Interrogabimus illos liberos, cum ea invenerint, et illi liberi nobis dicent. Ego solum scio in mundo peius quam nunc res se habuisse, magnum bellum fuisse et famem et populum tristem et infelicem, quia malum imperatorem habebat, nunc autem iam in mundo multo et multo melius omnia se habere, quia bellum non est et populus bonum praesidentem habet, et ei nomen Masarykus est. Et hoc fuit ante multos annos die Octobris duodetricesimo, cum populus imperatorem neque arma sustinere posset, et ipse finem fecit: imperatorem e patria expulit et arma repressit et ab eo tempore melius vivitur. Gaudet igitur populus et in memoriam huius facti uno quoque die mensis Octobris duodetricesimo vexilla pendit.“



„Mihi placet,“ inquit Catula, „cum homines beati laetique sunt; cum contentos laetosque homines video, ipsa sponte circumsilire cupio.“

„Mihi quoque valde placet,“ dixit Caniculus, „statim sentitur, si homines laeti sunt; ab istis mordacibus melius est centum passus abire. Si quis laetus contentusque est, est in ceteros homines benignus, et in bestiolas.“

„Si igitur homines die mensis Octobris duodetricesimo laeti et benigni erunt, necesse est nos quoque vexillum pendere,“ affirmavit Catula. „Nobis celebrandum est. Immo duo vel etiam tria vexilla pendemus et forsitan plura. Sed,“ contemplabatur Catula, „ubi vexillum aliquod acquiremus, si nullum habemus?“

„De hac re iam cogitabam,“ Caniculus dixit. „Sine, tibi aliquid dicam: in hac via mercator tabernam habet et hic cuique, qui ab illo aliquid emit – sive mater, sive pater est, qui secum filium vel filiam suam habent – huic puero vel puellae vexillulum dat. Itaque hoc modo nos facturos esse excogitavi: In opertorium te convolvam, quasi infans sis, et in bracchiis meis te tenens ibi tecum ibo, ut aliquid emam. Nam aliquam pecuniam depositam habemus. Et ille mercator nobis vexillulum dabit et vexillum habebimus – nota bene – gratis!“



„Optime, optime!“ Catula laetabatur, „pulchrum erit, saltem semel ferar!“ Itaque sic fecerunt. Caniculus Catulam in opertoriulum convolvit, infantem eam fecit, et ad mercatorem aliquid emptum iit. Ibi vela emit et simulac emit solvitque, mercator ei pro infante vexillulum dat. Catula infantem simulat, vexillulum in ungula tenet, id vibrat et „ninini“ dicit et Caniculus eam domum fert. Domi Catulam ex opertoriulo evolvit et Catula gloriatur: „Nonne vides me vexillulum pulchrum accepisse? Et prorsus gratis!“

„Hoc quoque facere possum,“ Caniculus inquit. „Volo etiam ego vexillulum accipere! Nunc in opertoriulum me convolve et fac me infantem et ambula mecum ad mercatorem aliquid emptum! Et ego quoque vexillulum accipiam.“



Sic igitur fecerunt. Catula Caniculum in opertoriulum convolvit et Caniculus infantem simulabat. Catula cum eo ad mercatorem ambulavit et tapetam emit et Caniculus in unglam a mercatore vexillulum accepit et etiam „ninini“ dixit vexillumque laete vibrabat, cum domum ibant. „Heus,“ dixit, „etiam ego vexillulum accepi – et gratis!“

„Si gratis est,“ inquit Catula, „parvo pretio hoc modo vexillula plura emere possumus, ut multo plura habeamus, immo plurima! Nunc ego infantem imitabo et tu me feres; cum aliquid emeris, accipiam vexillulum. Ac postea tu infantem imitabis et ego ibo emptum. Sic repetiverimus, donec multa vexillula habebimus. Habemus enim ad emendum multam pecuniam.“

Hoc modo igitur totum diem faciebant; altera vice Catula infantem imitabat, altera vice Caniculus et etiam atque etiam emptum ibant, dum pecunia eis erat. Cum iam vexillulorum satis habebant, immo pilulas aliquas obtinuerunt, et hoc modo faciebant, antequam pecuniam omnem consumpserunt et nullam iam habebant.

„Quam parvo pretio omnia acquisivimus,“ gaudebant inter se et vexilla et pilulas pensum ierunt. Catula vexilla in tecto pendebat, Caniculus ex fenestris, quia tectum scandere metuebat. Plurima vexilla pilulasque habebant, tota domus eis abundabat et omnibus praetereuntibus valde placebat. „Quam iucundum laetumque videtur,“ unus quisque praeteriens dicebat, „quam pulchre hoc die mensis Octobris duodetricesimo domum suam ornaverunt.“ „Et quidni celebremus,“ Caniculus cum Catula interrogabant, „cum homines contenti laetique hodie sint?“ Postea milites praeteribant et tunc pulchre canere coeperunt. „Io, dies mensis Octobris duodetricesimus, macte esto!“ Caniculus cum Catula clamabant et liberi omnes se adiunxerunt et laete clamabant: „Macte! Io! Io!“

Scholares Instituti studiorum classicorum  
Facultatis Philosophicae Universitatis Masarykianae Brunensis  
in cursu Operum modernorum Latine versorum legendorum semestris  
vernalis anni MMXXIV magistro suo recensente  
Latine vertendum curaverunt.

Anastázie Bendová  
Filip Pavel Dvorský  
Vít Fojtík  
Daniel Hanák  
Kateřina Hubáčková  
Kateřina Jakoubková  
Marek Jochman  
Matouš Kozák  
Kateryna-Viktoriiia Kuznietsova  
Taťána Slámová  
Tomáš Weissar

Brunae anno MMXXIV typis editum.